VIRTUS POST FUNERA VIVIT.

Seu

Monumentum

ÆTERNÆ MEMORIÆ

MAGNIFICI atq; GENEROSI

VIRI

DN. DANIELIS WACHSCHLAGERI,

Burggrabii Regii, Reipubl. Thoruniensis Proconsulis, & Gymnasii Supremi Scholarchæ gravissimi.

d. 15. Martii pie demortui & 25. ejusdem mensis honorificè decentibusq; ritibus in Templo MARIANO tumulati

Consecratum

à

M. Martino Böhm/ Gymn. Thor. P. P.

THORUNII imprimebat Christianus Bekk, Typogr.

*** *** ***

Qvicunq; ſepulchrum vides, ſepultum ne qvære,
Magnificus atq; Generoſus
DN. DANIEL WACHSCHLAGER,
BURGGRABIUS REGIUS,
Civitatis Thorunienſis Proconſul
&
Supremus Gymnaſii Patrii Scholarcha
nec obiit, nec abiit:
Fidei Conſtantia vivit inter beatas æternasq; mentes,
apud nos vero manet & manſurus in ævum
memoria, fama, gloria.
Interiit ejus umbra, non Sapientia:
Vivit intra Pruſſiam, intra qvam nihil totum moritur
Ita
Aſcendimus, ut deſcendamus: viremus, ut areſcamus:
vivimus, ut moriamur.
Ater cinerem tantum tumulus tegit, non virtutem,
qvam in Patriæ pectore, cui vitam impendimus,
cumulavimus.
Et
qvem invida mors voluit eſſe mortuum; Hiſtoria Patria
Orationes & Carmina ipſum mori non ſinunt.
Ideoq; non inter mortuos ſed vivos qværendus eſt
BURGGRABIUS noſter.
Vivit ille in aula Regia glorioſiſſimi & Potentiſſimi Regis
JOHANNIS
qvi nominis ordine Tertius,
Virtute bellica nemini Secundus
Felicitate haut difficile Primus
æſtimatur.
Et qvia vivit
Cum Dione Syracuſano, Sececho Palatino Cracovienſi,
et Conſalvo magno Hiſpaniarum Duce
nonnihil invidiæ ſibi contraxit.
Eſt enim hoc commune in magnis liberisq; civitatibus,
ut invidia gloriæ comes ſit, & libenter de his de-
trahant, qvos eminere videant altius.
(Neq; qvisqvam invidet alienæ famæ, niſi qvi deſperat ſuum
apud Poſteros celebre nomen aliqvando futurum)

Nihil

Nihil tamen hic qvantumq; arroſit, abroſit:
Nihil hic qvicqvid carpſit, decerpſit
Invidia.
En!
de novo BURGGRABIATUM Sereniſſimus REX
BURGGRABIO noſtro contulit;
Cui adhanc dignitatem evecto nihil aliud defuit,
qvam clavus,
qvo rotam fortunæ potuiſſet affigere, ne verteretur.
Sed dum ſceptro potitur, feretro imponitur, & dum
terreſtrem BURGGRABIATUM deponit, cœleſtem
nactus eſt:
Neq; ulla re niſi moriendo nocuit longe plus aliis,
qvam ſibi.
Vivit ille in animis Magnifici huius urbis Magiſtratus,
cui primo Scabinalis dignitas delata eſt:
Inde gradibus ad majora aſſurrexit, non lentis,
qvales erant ætatis; ſed feſtinis, qvales ſolent eſſe
virtutis, qvæ annos meritis ſolet prævertere.
Ideo Conſulares & Proconſulares faſces
ſororio vinculo invicem junctos
mox conſecutus eſt.
Procul hic erant profana monſtra:
Illex ambitio,
Præſtigiatrix avaritia,
Faſcinans favor.
Dignitatis pretium ſola fecere merita:
ſuffragium dedere virtutes:
Honores detulit fuga.
Ita Virtus non manſit abſq; præmio, qvia non erat abſq;
æmulo.
Qvare ex ſententia prælaudati Magiſtratus implere ætatem
tot annis merebatur, qvot implevit meritis,
tot præmiorum cumulis, qvot ſibi cumulavit labores.
Bello civili nihil miſerius, nihil calamitoſius eſſe cenſebat:
ubi qvo major victoria, eo major infelicitas.
ubi læti victores ſæpe triſtantur.
Probavit amorem Patriæ, dum ſervivit iratæ:
Innocentem damnare noluit, ne ſeipſum damnaret:
Univerſos Cives æqve ac ſingulos tenerrimo
complexus eſt amore:

Non

Non raro tamen ſibi perniciem educavit in clientibus
et Alumnis.
ſcilicet
Lactant ſæpe catulos miſere matres, qvi poſt ubera depaſcantur:
Rigatur aſſiduo ſudore cicuta, qvæ mox in culmum adulta
nos perimat:
Et in noſtris incudibus ferrum acuimus, qvo cadamus.
Aggeres diſcordiarum ubi rupit, aggeravit ſibi
triumphos;
ita tamen,
ut aliqvoties non minus ſcite, qvam vere dixerit:
Nunc honor omnis honos, ſcoria eſt nunc gloria mundi,
Laus hominum fraus eſt, dedecus omne decus.
Vivit ille in ore templorum Gymnaſiiq; noſtri.
Et qvid?
Num illi vitam denegabis, qvi ex litteris vivere didicit?
Veſtibulum vitæ ejus penetrale erat Sanctitatis:
Prætexta multorum togas vicit, poſtqvam ætatulæ
primæ pruritum ſeqvaci ſuperaſſet ingenio.
Ne Latine tantum Polonice & Germanice ſapiens eſſet,
miſſus in Belgium, Angliam, Galliam, & alias adjacentes regiones,
in qvibus ſine errore errabat,
ut omnium urbium hoſpes ex ſingulis optima qvæq; colligeret,
et ſe Sapientiæ variæ theſaurum faceret.
Expertus eſt multorum ingenia, didicit antiqvas diſciplinas
Auditor Orbis.
Ita cum corpore animus etiam crevit, ut ſumma omnia
vidiſſes, præter ætatem.
Litterarum amantiſſimus fuit, ipſe non littera-
tor, ſed Litteratus:
Cum Doctis verſabatur libenter, ipſe non indoctus:
Doctarum Noctium privigiles Curæ in Bibliotheca ſcelctiſſima
animum obrumbrabant ſæpiſſime,
& ſummo mane ad ſalutandas Muſas excitabatur.
Hinc Magnificus Magiſtratus jam a XXX annis
Gymnaſii ſui ſupremam curam, raro exemplo,
veluti Atlantis humeris impoſuit.
Tulit gravem hanc molem vegetus,
et Siſyphi lapidem volvit.
Senio vero fractus reſpiravit ſub hoc onere,
qvia expiravit.